

potestate est largiri, quod velis. Fraus fundamentum solvit, et opus corruit. Numquid Petrus ita indignatione efferbuit, ut Ananiam extingui vellet, vel uxorem ejus? Sed exemplo eorum noluit perire caeteros.<sup>1)</sup> Nec illa perfecta est liberalitas, si jactantiae causa magis quam misericordiae largiaris. Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo a te proficiscitur, sic aestimatur. Vides quam moralem judicem habeas. Te consultit, quomodo opus tuum suscipiat, mentem tuam prius interrogat. Nesciat, inquit, sinistra tua, quid faciat dextera tua<sup>2)</sup>. Non de corpore loquitur, sed etiam unanimus tuus, frater tuus quod facis nesciat; ne dum hic mercedem quaeris jactantiae, illic remunerationis fructum amittas. Perfecta autem est liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum, et necessitatibus singulorum occulte subvenit, quem laudat os pauperis, et non labia sua. Deinde perfecta liberalitas fide, causa, loco, tempore commendatur; ut primum operis circa domesticos fidei. Grandis culpa, si, sciente te, fidelis egeat: si scias eum sine sumptu esse, famem tolerare, aerumnam perpeti, qui praesertim egere erubescat: si in causam cederit aut captivitatis suorum, aut calumpniae, et non adjuves: si sit in carcere, et poenis, et suppliciis propter debitum aliquod justus excrucietur (nam etsi omnibus debetur misericordia, tamen justo amplius) si tempore afflictionis suae nihil a te impetret, si tempore periculi, quo rapitur ad mortem, plus apud te pecunia tua valeat, quam vita morituri. De quo pulchre Job dixit: Benedictio perituri in me veniat.<sup>3)</sup> Personarum quidem Deus acceptor non est, quia novit omnia. Nos autem omnibus quidem debemus misericordiam: sed quia plerique fraude eam quaerunt, et affingunt aerumnam; ideo ubi causa manifestatur, persona cognoscitur, tempus urget, largius se debet profundere misericordia. Non enim avarus Dominus est, ut plurimum quae-

1) Act. 5. 2) Matth. 6. 3) Joh. 29.